59895/P

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE TUSSI CONVULSIVA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ALEXANDER BARON,
SCOTUS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque ſolitis.

Aut etiam ſuſpenſa manet vis aëre in ipſo:
Et cum ſpiranteis miſtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe 'ſt.
Fit quoque, ut, in noſtrum cum venit denique coelum,
Corrumpat, reddatque ſui ſimile atque alienum.

LUCRET.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXVIII.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

316828

PRAECEPTORI SUO ILLUSTRISSIMO

JOANNI GREGORY, M. D.

USUS MEDENDI

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

DOCTORI PUBLICO,

ET MEDICO REGIO,

ALEXANDER BARON,

S. P. D.

Qui decorum vitae ordinem aliquem tenent, aut publicum munus obeunt, eorum actiones, quantum publicae quoque ſunt, omnes mortales norunt; quas, vel ex re vel pro arbitrio quiſque ſuo, alii laudant, alii vituperant. Tua vero fama publica merito ſecunda eſt; tuae laudes, abſit invidia, omnibus ſunt in ore; ut nova ſupervacua, tenuis quale eſt noſtrum ingenii, praeconia, etiam oneri forent. Quocirca, omiſſis aliis tuis virtutibus, liceat modo mihi, omnium qui ulla tecum privata conſuetudine aut neceſſitudine conjuncti ſunt, ut et meos ipſius, veros ſenſus promere, et quam ſis ob virtutis amorem, animi humanitatem, et morum lepore venerandus, diligendus, et deſiderandus ſine fuco teſtari; ſimul diſciplinae qua imbuiſti, et amicitiae qua me dignatus es, ſinceras gratias agere.

VALE.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30386573

DISPUTATIO MEDICA,

DE

TUSSI CONVULSIVA.

TUSSIS depravatae reſpirationis ſymptoma eſt *, violenta, convulſiva, reciproca, ſonora aëris inſpirati per os eliſio; ponit autem motus convulſivos omnium muſculorum qui expirationem faciunt, ſimulque glottidem utcunque coarctatam. Tuſſis pulmonum malum eſt univerſis hominibus adeo commune, ut nemo cui paulo diutius vitae uſus contigerit illius expers ad ſupremum funus perductus ſit. Eadem frequentius nullus affectus redit; plerumque tamen, ut levibus momentis oritur, ita levem quoque nec

A diu-

* Gaub. Patholog.

diuturnam moleſtiam exhibet. Eadem, ubi idiopathica eſt, ſcilicet, non ex aliis morbis nata, quia minus eſt diuturna et corporis actiones minus laedit, item ſponte decedit, vix pro morbo habenda eſt. Rurſus, intra morbos exorta, ſummas ſaepe turbas, et ipſum aliquando exitium, ſecum trahit. Ob quam cauſam, et quia cauſis, affectibus, exitu, et curatione, tuſſis ſpecies admodum inter ſe diverſae variant, et cùm in aliis, tum prae caeteris frigidioribus orbis plagis, dominantur; ideo nihil optabilius, nihil utilius eſſe poſſet, quam omnium naturas et curationes uno aliquo opere comprehendere, et quid omnes commune, quid proprium habeant, illuſtri arte oſtendere. Quem utique laborem, utut de genere humano bene meriturum, neque ingenium neque tempus meum ſinunt ſuſcipere, onuſque prorſus recuſant humeri noſtri.

Cumque, lauream medicinae et primos honores hoc tempore petens, ſcriptum aliquid in lucem edere neceſſe habeam; ideo ex tuſſium modo relatis ſpeciebus, unam

unam quam tractarem, et almae Academiae legibus parerem, delegi. Ea Tuſſis Convulſiva dicitur; qua "peſtis et ira Deum" nulla magis aut gravius teneras aetates apud nos exercet. Quod ſi ingenii vel minimum, ſi utilitatis proli noſtrae delicatulae aliquid protulero, voti compos ero; ſi vero neutrum, voluiſſe mihi ſatis erit.

D E F I N I T I O.

"Ea ſaeva, cita, violentaque tuſſis, "quam comitatur acuta quaedam et ſo-"nora inſpiratio, galli cantus inſtar, u-"na cum vomendi niſu, Convulſiva dici-"tur *." Quae verba ſi morbum minus apte definiunt, mihi ignoſcendum erit, cui ad paucos de eo ſcriptores, quippe qui pauci ſint, nec eos ſatis inter ſe in hac ipſa re concordes, aditus eſt permiſſus. Auctorum

* Sauv. nos. method.

torum lites exquirere, componere, hujus loci non eſt; ſilentio praetermittere potius mihi placet.

NOMINA.

VERUM, licet pauci memorabilius quicquam de hoc morbo ſcripſerint, non pauca etiam nomina ei tributa ſunt. Quae utique eo non omittenda judicavi, quod plerumque morbum aliquantulum illuſtrant. Itaque modo Tuſſis Ferina, modo Clangoſa, modo Perennis, modo Pertuſſis Puerorum, modo Tuſſedo, modo, quod nobis placet, Tuſſis Convulſiva, et multis aliis vocabulis Latine; Graece βηξ θηριωδης, κοπιωδης, πνιγμωδης; Gallice Tuſſis Quinta ſeu Quintana, *la Coqueluche*, item *Paroxyſmes Quintes*; Anglice vero *Chincough*, *Hooping-cough*, et Scotice ſatis ſignificanter *Kink-cough*; ut alia nomina, pro ſcriptorum arbitrio nunc eundem nunc diverſum morbum ſignificantia, omittam, nominari conſuevit. Nos,

quod

quod jam factum eſt, vocem Tuſſis Convulſivam, tum quia morbum haud inepte indicat, tum quia plerumque nunc adhibetur, uſurpabimus. Atque hic ab errore SAUVAGESII in hac re cavendum eſt; qui, in tuſſis ſpeciebus diſtribuendis, duas, alteram * Ferinam, alteram Convulſivam, cum utraque revera eadem ſit, deceptus nomine fecit.

MORBI HISTORIA.

TUSSI convulſivae plerumque ſternutamenta, raucedo, et oculis ſuffuſus rubor, antecurrunt. Quibus deinde ſaepe febricula, interdum haud exigua febris cum ſiti, ſuccedunt. Tum tuſſicula, quam aliquando pulmonum affectus graves comitantur, prodiens, per unum aut alterum diem catarrhali ſimilis, et nihil gravius habens, apparet. Jamque febriles notae paululum diſcedunt. Jam tuſſis moleſtior,

* Noſolog. method. cl. 5. g. 7. ſp. 10. 17.

or, aſperior, dura, ſicca, ſine effectu, cum clangoſo quodam ſono, diem noctemque perſtat. Per longum tamen ſpatium non incertus haeret aeger. Neque multo poſt juſta acceſſio manifeſta eſt. Hanc autem praenunciat circa laryngem titillatio ſeu conſtrictionis ſenſus, quo affecti infantes manibus pedibuſque nituntur calcitrantque, ac digitos jugulo admovent. Emittitur ſaevo more et cogente tuſſi ſpiritus; idem diu, invito aegro, tremulis motibus convulſo, ac, ne ſtranguletur, ſummis viribus nitente, intus demum trahitur; jamque, convulſionibus aliquantiſper ceſſantibus, brevis trahendi mora datur. Poſt ſpiritum unaquaque vice emiſſum, irruente aëre, protinus ſonus ille ſtridulus, acutus, galli cantum referens, et huic tuſſi proprius, vernacule hic *Kink* vocatus, auditur; atque inter ſpiritum trahendum ſibilat pectus et quaſi clangit, aër tarde introit, tarde levatur thorax; unde ſumma oriens anxietas, item interveniens tuſſis, vix ſpatium ad plenius ſpiritum trahendum permittunt.

tunt. Itaque aegrotantem avide adhuc aëra captantem, necdum ſatiatum, hujus emittendi neceſſitas, et cum eadem qua ante ſaevitia, in medio quaſi excipit.

Per unum aut alterum minutum iſta crudelis, ſaeva, et inanis tuſſis, permanere, nec, niſi laborantis prope ſtrangulati et ad orcum praecipitati jam totis viribus abſumptis, deſinere conſuevit: Atque haec fere rerum circa morbi initia facies eſt.

Ubi vero idem provectior eſt, requietis brevis fere mora, ad vires recreandas, datur; poſtquam recrudeſcit protinus tuſſiendi impetus et cum eadem vehementia graſſatur. Cui finem tandem, muci ſubnigri exiguum aliquid exſputum, vomitus, vel ſanguinis e pulmonibus ipſis, naribus, ore, aut oculis, profluvium, fere imponunt. Hoc tempore tuſſis, quam initio ſiccam et duram dictum eſt, praeter mucum, eam ſolvere ſolitum, eo etiam ante humida redditur. Aſt, ubi jam viget morbus, mucus modo memoratus magna copia et tenuis, caetera nihil prae-

ter

ter naturam habens, rejicitur. Idem decidens in bronchios, ibi copia magna coacervatur, tuſſimque adfert; et ſaepe muci hujus ſurſum deorſumque per aëra propulſi ſonus per aliquod tempus auditur, qui ſimulac ad tracheae ſummum pervenit, luctante valde infante, incipit tuſſis, nec deſinit donec exſpuitur muci hujus aliquantulum. Quod vero ad vomitum attinet, is, quocunque tempore incidit, levamen ſemper adfert, ſemper acceſſionis vim imminuit; ſaepe etiam in praeſentia ex toto tollit; optimeque in intervallis ſeſe quibus vomitus ſatis liber, ut, e contrario, quibus non irritatur ventriculus, male omnino habent. Semper etiam acceſſionis tempore, ſanguis ad caput congeritur; celeriter pulſant et fortiter arteriae; tument venae; dolet caput; prominent oculi; inflantur palpebrae; totus intumeſcit vultus, fit ruber, lividus, et interdum niger; eoque tempore invite labuntur lachrymae, foeces, urinae. Quae

mala,

mala, niſi protinus finiantur, e medio convulſum rapiunt.

Pulsus, qui ab initio ſaltem aliquantum juſto citatiores dicti ſunt, vix deinde, niſi in gravi tuſſis impetu, aut poſt acceſſionem, citantur. Neque raro fit, ubi plenus habitus eſt, qui non detracto per initia humore ſolvitur, ut etiam ex tuſſis ipſius ſaevitia pulmonum pars aliqua inflammata febrem rurſus accendat, quae nunc ſatis notabilis eſt, et curam non minimam ſibi vendicat. Item acceſſionis tempore, pectoris quaſi cum dolore, anguſtia et ſpirandi difficultas eſt; quae in intervallis haud ſemper libera aut facilis ſatis eſt. Primis morbi diebus cibi deſiderium oppido imminuitur. Quod cito plerumque et extra acceſſionem haud raro ita redit ut ad ſatietatem uſque cibi, avide et magna copia devorati, cito per vomitum rejiciendi ſit neceſſitas. Contra, adultiores, aut infantes mucum exſpuere neſcios, nauſea et faſtidium cibi exercet. Saepe magna

ſitis eſt. Pleriſque alvus dura, aliis tamen fuſa eſt, cujus lenior mollities opem quidem adfert. In acceſſione, urinae limpidae magna copia redditur.

ACCESSIONES, incertis plerumque intervallis et leviſſimo quoque momento excitatae, repetunt; eaedem vero certos circuitus, febrium intermittentium inſtar, interdum obſervant.

AETAS morbi varia eſt; aliis vix amplius unum, aliis plures menſes, quibuſdam totum annum perdurantis; pleriſque circa ſextam, decimam, vel decimam quintam hebdomadam deſinentis. Idem brevior aut diuturnior magna ex parte pro coeli habitu reperitur; iſque ſubito mutatus ſaepe morbum ſponte depellit. Nec raro, loci vel in propinquum alium mutatio, ſalutem reducit. Hic morbus ſemper pertinax, ſaepe medicina non ſuperabilis, aegrum, macie confectum et afflictum, morti tradit; aut, ſi ſuperſtes aeger futurus eſt, tuſſiendi violentia et diuturnitas, longam malorum cohortem, pulmonum

num, impedimenta, exulcerationes, ſanguinis ex iiſdem ſputum, infantibus rachitidem, ſcrophulam, maciem, et mortem ducit. Haec in acceſſione nonnunquam quoque incidit. In leni morbo eventus raro exitialis.

DUAE quaeſtiones reſtant, de quibus magna verborum contentione ſcriptores litigarunt, An epidemicus ſit morbus? An etiam contagioſus?

An morbus Epidemicus ſit?

QUOD ad primam quaeſtionem attinet; tuſſis convulſiva morbis epidemicis jure adnumeranda videtur. Primum enim, certis anni temporibus, certiſque ejuſdem habitibus, quibus alii morbi per populum, hic quoque graſſatur. Autumno, ſtragem tum maximam edit, cum * febres exanthematicae ſaeviunt in populum. Quo tempore exortus,

* Nicol. Roſ. diſſert. de Tuſſi.

exortus, fere totam hiemem permanere, aut, ſi hoc etiam tempore aliquos invaſit, eos raro ante aeſtatis adventum dimittere, conſuevit. Rurſus, vernalibus epidemicis permixtus, horum tempus exigit. Itaque in morbillos coincidens, a verno tempore ad Junium aut Julium menſes permanens, cum iis quoque deſinit. Verum tuſſi convulſivae ſumma cum febribus intermittentibus ſimilitudo eſt. Quae, iiſdem locis, iiſdem temporibus et coeli habitibus, quibus hae ſive naſcuntur, ſive vigent, ſive decedunt, naſci, vigere, ac decidere reperitur. Neque ullo tempore quam hoc, rebuſve ſub ullis, magis metuenda furit. Denique, ut ſupra memoratum eſt, aeque certis circuitibus ac febres illae aliquando repetens, et eadem prorſus ratione medicabilis, quam communis illorum morborum natura ſit, oſtendit; non igitur dubitandum amplius videtur, quin epidemica ſit tuſſis convulſiva.

An

An contagioſus ſit?

GULIELMUS BALLONIUS *, morbis anni 1578 per populum graſſatis tuſſim convulſivam ſeu quintanam graviſſime ſaevientem adnumerat. Quam FRANCISCUS VALERIOLA † medicus Avenionaeus anno 1570 rapide et cum magna ſtrage per omnem Galliam iviſſe, et viros, mulieres, pueroſque nullo diſcrimine oppreſſiſſe, memoriae etiam prodidit. Porro, anno 1414 ‡, MEZERAIO teſte, eadem Galliam totam primum vaſtabat, antiquis, ut ei videtur, prorſus ignota. De hoc vero nil certum ſtatuere poſſumus. Ut ideo, quod ſupra oſtendi, epidemica manifeſto ſit: Verum cum omnis morbus epidemicus vel ex miaſmatis cujuſdam vel contagionis vi oriatur, et illud non || late, nec procul a parte unde exortum eſt, noceat; nam, aëre diffuſum, innocuum redditur;

* Lib. 2. de epid et ephem.

† In append. loc. com. p. 45.

‡ Hiſt de Franc.

|| Lanciſi opera omnia.

ditur; ut igitur tanta vis morbi, per tantum terrarum tractum cum furore ruens, e contagione nata ſit, neceſſe eſt. Quae contagio, forte, a labe coeli vel miaſmate primo provenit, ac poſtea per corporis actiones in contagioſam verti naturam apparet. Quam opinionem viſa quotidie in Britannia confirmant. Ubi haec tuſſis in regione aliqua exorta eſt, cito omnes fere in ea degentes qui ante non affecti ſunt, primum ejuſdem familiae, deinde proximarum et vicinarum, ut maximum inter quamque commercium eſt, corripere, tum ad proximos tractus cum viatoribus progredi, et ſic totam ſaepe inſulam peragrare, reperitur. Hi porro qui inter vitiatos degunt, ea facilius inficiuntur quam alii a contagione remotiores; et ſi in aegri cubiculum pervenit ſanus, raro morbum effugiet. Poſtremo, cum hic morbus, aeque ac variolae aut morbilli, in contagione evidenter conſiſtentes, et ſemel tantum eidem homini, ſed omnibus fere incidentes, ſemel quoque incidat, et vix ullos fugiat;

quin

quin ſimiliter contagioſus ſit, vix ullus dubitandi locus relinquitur.

Morbi Diſcrimina.

SUPERIORE morbi hiſtoria pertexta, quam is ab omnibus aliis morbis quotquot mortalibus incidunt, facile diſcernatur, haud obſcurum eſſe poteſt. Solum omnium morborum fere cum tuſſi aſthmatis ſpaſmodici ſimilitudinem, ſed perobſcuram, habet. Ex hac vero et omnibus aliis tuſſis ſpeciebus, diuturnitate et violentia omnes longe ſuperans, praeterea vomendi periculo aut ipſo vomitu, item voce ſtridula clangoſa, (*Kink*) vocata, convulſiva toto coelo diſtat. Poſtremo, tuſſis per populum graſſans, ſi in aliquem non ante affectum incidit, quin convulſiva ſit dubium eſſe nequit. Quid multis? Tuſſientis vocem audiiſſe, ut praeclari viri verbo utar, ad eam diſcernendam ſatis eſt.

SEDES.

S E D E S.

Tussis convulſivae ſedem, ſcriptores, pariter ac in rebus ſupra dictis, diſcordes; alii enim in larynge, alii in pharynge, alii in ventriculo, alii porro in pulmonibus, collocarunt. Ac, ne nunc quidem lite dijudicata, alii in ventriculo, alii in pulmonibus, ſedere morbum contendunt. Nos, priſtina contentione omiſſa, de praeſenti ſententiam interponemus. Qui ad ventriculum morbum rejiciunt, ii, "morborum," inquiunt, "puerorum longe maximam partem acidum ventriculi et primarum viarum facit. In tuſſi convulſiva, vomendi conatus fere ſemper ad acceſſionis mala accedit. Emetica et amara ſtomachica proſunt; obſunt autem pectus laxantia." Quibus adducti, ventriculum morbi originem credunt. Contra, alterius opinionis defenſores, "magis," aiunt, "pulmonum quam ventriculi noxis praeſertim aëre natis, prima aetas opportuna eſt. Et, licet vomitus

vomitus tuſſi convulſivae prodeſſe haud inficiandus ſit; non tamen acidum aut quamlibet materiam ſontem primis viis adhaerentem ejiciendo, ſed prorſus diverſa ratione, id auxilii praeſtat. Tuſſim autem protinus a pulmonum affectione provenire, et non a ventriculo, ſive, ut ii opinantur, per conſenſum ſeu quolibet alio pacto, tranſmigrare, luculento argumento eſt, in maxima tuſſiendi ſaepe ſaevitia ventriculus minime irritatus. Pectus vero laxantia, quorum praecipua olea ſunt, contraria, amara ſecunda, pulmonibus pariter ac ventriculo reperiuntur. Tuſſim denique adeo diuturnam in ventriculo ſedere, aut a qualibet ibidem materia oriri, cum cito talis auferri materia, adeoque cauſa, poſſit, omnem fidem ſuperat. Quod autem ſemper incipiens tuſſiendi ſtimulus in trachea ſentitur, quod tuſſis primum, quod praecipuum, quod perpetuum morbi ſignum eſt, nec vomendi ullum periculum, niſi aliquot diebus elap-

ſis, ſaepe ne toto quidem morbi tempore incidit, eae res, quare morbi origo non in ventriculo ſed alicubi in pulmonibus ſita credatur, ſummam fidem faciunt. Poſtremo, inciſis cadaveribus, pulmonum ulcerum manifeſta veſtigia reperta, ventriculo integro et nihil praeter ſolitum oſtendente, illos mali cauſam continere, inſuperabili argumento evincunt. Quibus ego rebus et argumentis, praecipue poſterioribus, impulſus, huic opinioni aſſentio, tuſſis convulſivae ſedem ipſos pulmones et bronchios citra controverſiam eſſe. Partem vero pulmonum affectam poſtea inveſtigare conabimur, quando de cauſis verba facturus ſum.

DE

DE CAUSIS.

Praefatus qua potui quae neceſſaria videbantur ad naturam tuſſis convulſivae percipiendam, reſtat ut ex his cauſas morbum gignentes eruere conemur; opus quidem grave et arduum!

CAUSA REMOTA.

Tussis convulſiva, ut ſupra dictum eſt, epidemica, contagioſa, univerſo generi humano communis eſt. Quod ſi pueris haud paulo frequentius quam adultioribus et aliis incidit, ratio neque difficilis nec huic dicto contraria videtur. Diceremque adeo ipſam humanam naturam, vel in maxime ſano ſtatu, in hunc morbum proclivem eſſe, ut unuſquiſque, cauſa remota oblata, in eum ſponte et primo quoque

quoque tempore ruat; ideoque, cum paucis prima aetate is parcat, nunquam eoſdem repetiturus; ſi adeo rara in vita poſteriore cernitur, non eſſe mirandum. Eſt igitur hujus morbi cauſa, contagio; quae, quia quoties graſſatur, omnes ante intactas, ſine ullo fere conditionis diſcrimine, ſternit, pro ſimpliciter remota, vel principio, uti GAUBIO placet, haberi poteſt. Quod ſi, adverſus aetatem puerilem, ſemota ratione quam modo comprehendi, eadem potentior reperiretur, et aliqua ei aetati magis propria conditione ad morbum concitandum egeret: Tamen, cum ea conditio naturalis nihil morbi habeat, id quod magna correptorum varietas oſtendit, cauſam etiam remotam aut abſolutam judicarem. Quod fieri quoque veriſimile eſt. Talis vero conditio eſſe videtur laxa puerorum fabrica et corporis mobilitas. Opus quidem grave eſſet, ſi certi aliquid de hujus contagionis actione ſtatueremus. Contagionum vero neque numerus, neque

que virium ratio, adhuc explorata ſunt. Ad hanc autem quaeſtionem illuſtrandam, liceat mihi pauca, quae Praeceptor noſter CULLENUS, doctrina, ingenio, et ſagace animi vi inſignis, et de arte medica in primis bene meritus, nuper nobis tradidit, in medium proferre. Is, non tot contagiones quot ſcriptores finxerunt, multis rebus et argumentis oſtendit; tres vero quotidie, exanthematicam, catarrhalem, et dyſentericam obſervari, nec forſan multo plures eſſe, arbitratur. Hae contagiones tripliciter quoque, proprietate ſedante, ſtimulante, aut ſeptica, noxam inferunt. Quae proprietates, varie inter ſe conjunctae, morborum in contagione conſiſtentium genera conſtituunt. Quod ſi eaſdem, ſive ſingulas ſive conjunctas, quomodo loci, coeli, tempeſtatum, aetatis, ſexus, naturarum, et multarum aliarum rerum rationes varient, conſideremus, eas adeo inter ſe diſſimiles videri, neutiquam erit mirum. De hujus morbi contagione,

tria

tria conſideranda erunt: 1. An haec ſpecifica quae dicitur ſeu propria natura ſit; 2. Unde ſit; 3. Quae denique ejuſdem ſit actio. De his ordine pauca diſſeram. Contagionem, quae tuſſim convulſivam gignit, propriam eſſe, omnia fidem faciunt. Licet enim inſitione morbum facere nondum potuerimus; tamen haud inficiandum eſt, eundem ſemper morbum eadem facie ex hac contagione naſci; idem nunquam eoſdem repetit, ac mortalium perpauci funus ſupremum expertes ejus attingunt, nec plures eum quam variolas aut morbillos effugiunt. Quod vero ad ſecundam quaeſtionem attinet, de ea vix aliquid certi novimus. Contagionum aliae, quales ſunt exanthematum multae, nobis ex aliis regionibus, ubi endemice graſſantur, commercii artibus adferuntur; aliae, uti dyſenterica et catarrhalis, e cauſis unicuique regioni propriis oriuntur. Hujus generis contagio quae morbum hunc facit, ut mihi videtur, eſt; quae

quae contagioni catarrhali conſimilis eſt, cum et ejuſdem tempeſtatis proles ſit, eaſdem partes occupet, et ſimilia ſigna eam comitentur; non tamen, ut haec ſimilitudo propriam ejus quam dixi naturam mutet. Quae vero ſit actio ejus, explanare vix audeo. Hoc ſolum conſtat, omnem contagionem imprimis in naturam nervoſam agere; id quod omnia evincunt; proxime vero effectus ſuos in ſanguine oſtendere. Item ſit febris aliquando magna, aliquando vero non manifeſta, ut non raro in hac tuſſi accidit. Contagio igitur haec recepta, primo nervoſam noſtri partem, tandem vero maſſam ſanguineam, afficit, et deponi videtur in glandulis bronchiorum eodem modo quo materies varioloſa in cute. Quomodo vero in has partes dirigatur haec contagio, non ſatis notum. Perſpiratio Sanctoriana impedita, ut in omni catarrho fit, ſemper ad pulmones verſa, tuſſim gignit: Ponere ideo liceat, hujuſmodi eſſe

contagionem

contagionem convulſivam (ut voce utar nova), ut cum perſpirabili hac materia conjuncta verſus pulmones vehatur ac eos ſtimulet inflammetque. Longe vero effectus inſigniores haec contagio edit, irritabilitatem pulmonum maximam faciendo, quae quidem morbi longe maxima pars eſt: Remotis enim omnibus ſignis inflammationis, diu admodum tuſſis urget, cum nihil praeter pulmonum hanc irritabilitatem manet; in qua ſolvenda, curatio tota eſt. Quo autem modo hic irritabilitatis ſtatus fieri poſſit, non explanare aggredior; quem tamen ſubeſſe, omnia morbi ſatis manifeſtum reddunt. Quod vero nunquam eoſdem morbus bis petat, nulla alia ratio reddi poteſt, niſi quod multarum contagionum haec natura videatur, ut cum in nervoſam noſtri partem potiſſimum agant, hanc, ſuo quodam fermento ita commutent, ne eundem morbum unquam deinde recipiat. Verum, qualis qualis contagio ſit; licet ea ſatis ad morbum

morbum efficax ſit, tamen, cum vim ejus quaedam res adjutent, eae jam memorandae ſunt.

Adjutrices cauſae remotae res, quaſque ipſas pro cauſis coincidentibus habeas, externae et internae ſunt.

EXTERNAE

TRIPLICES ſunt, ad ſtimulantem naturam omnes revocandae. Primarum in numero ſunt quaecunque totum corpus ſtimulo adficiunt: Qualia ſunt frigus ſubitum et vehemens et exercitatio valida. His proxima ſunt, pulmones ipſos irritantia, ut in iis ſecreta, cujuſmodi ſunt mucus bronchialis majore juſto copia ſecretus; item cum ſpiritu intus attracta; cujus generis ſunt aër debito frigidior, fumus, vapores irritantes varii; denique, quaecunque ſpiritum intendunt, ut vociferatio, cantus, riſus, et ſimilia. Tertium noxarum genus

ſunt, ventriculo recepta; ea fere ſunt corpore calefacto frigida potui data; cibi acres, iidemve aut alia quaecunque tanta copia aſſumpta quanta ventriculum immodice diſtendat.

INTERNAE

Noxae ſunt, animi perturbationes magnae, ut ira, terror, et repentinum gaudium; de his vero vix ſatis certum conſtat.

Postremo, adnumerandae veniunt corporis mutationes per circuitus redeuntes. Hae quidem ſatis certae ſunt; aliquando etiam non magis in febre intermittente quam in tuſſi convulſiva reperiuntur; quae autem ſit eorum agendi ratio, vel ex quibus pendeant cauſis, explanare non audebo.

CAUSA PROXIMA.

Nunc reſtat ut cauſam morbi proximam paucis inquiram. Id non difficillimum

mum eſſe in praeſente artis ſtatu non poteſt. Nam, licet nihil uſui magis quam de morborum naturis quaeſtio ſit; tamen nuper demum recta ratione agitari coepit. Antiqui empyrici eam prorſus rejecerunt, incomprehenſibilem et inutilem eſſe judicantes. Recentiorum quoque multi parum rei medicae profuerunt; illi enim, neglectis omnino firmorum vitiis, particulas quaſdam acres, materiam morbificam acidam, alkalinam, aut ſalinam aliquam, ſimilemve noxam in ſanguine latentem, pro morbi uniuſcujuſque origine conſtituerunt. Cujus igitur doctrinae nunc ima labant fundamenta. Verumenimvero, deprehenſis priorum erroribus, ipſi ideo non protinus verum quod quaeritur deprehendimus. Id plerumque caligine obſcurum, ſaepe tenebris obvolutum, ingenium noſtrum refugit, nec in ulla magis quam in hac ipſa re. Nam in cadaveribus inciſis viſa, quae tamen certiſſimum judicium praebere credas, parum ſunt auxilio; aut, ſi quid oſtendunt, id in

errorem potius ducit, dum imprudenter effecta pro cauſis temere vulgo habentur. Ut vero, in tam tenui copia rerum, iis quae certiores videantur ducar, ex tuſſis convulſivae effectibus ad cauſam aſſurgere coner.. Rejectis igitur, quae in minuta et fallace ratione conſiſtentia ſenſuum acumen fugiunt, ſignis, totam morbi faciem et curationem reſpiciens, quae omnia ſpaſmum ſubeſſe et morbum ſpaſmo contineri demonſtrant, pulmonum et bronchiorum contractiones ſpaſmodicas proximam cauſam autumo. Qui ſpaſmi per contagionem, per pulmonum irritabilitatem ſpecialem ea inductam, et cauſas adjutrices ante memoratas, excitantur.

AFFECTUUM EXPLANATIO.

Præcipua morbi ſigna explanare proximum eſt; quod paucis abſolvere conabor.

FEBRIS

Febris initio ſemperne ſubſit necne, in controverſia eſt. Si meam de hac re ſententiam interponere liceat, febris, quamvis ſaepe lenis et parum notabilis, tamen in initio perpetua videtur, et aliquando etiam cum adfectibus pneumonicis; id quod ipſe haud raro animadverti. Cujus rei rationem non aliam reddam, quam dicendo, cum contagio, ut hujus morbi, ita febrium cauſa remota ſit, ſi ea contagio febrem concitat non eſſe mirandum. Quod ad tuſſim primum lenem attinet; ea huic morbo incipienti cum omnis catarrhi principiis communis eſt; et pariter magna ex parte explicabilis. Si quidem pulmonum irritabilitas, ſed adhuc exigua, cauſa aperta eſſe, et ſpaſmum qui lenem in utroque morbo tuſſim continet, praecipue ciere videtur. Poſtquam vero contagio, quae raro ſubito ſimul ſuam vim exercet, jam plena effecta in pulmonibus expedivit, et ſuae eos potentiae prorſus ſubegit, eadem irritabilitate ad ſummum perducta, et cauſa ſpaſmi atrociſſime

me oblata, tum demum hujus effectum tuſſis ad ſummum ſaevitiae adſurgit.

Spiritus vero, invito aegro, gravis et diu emiſſus ideo fit, quia tuſſis eſt muſculorum ſpiritum emittentium actio convulſiva. Cumque et magnitudo et diuturnitas tuſſiendi in magnitudine cum diuturnitate ſpaſmi conſiſtant; idcirco, ſi ſpiritus niſi longo tempore non emittitur, non erit mirum. Et quoniam majori vi ad emittendum quam trahendum aëra opus eſt, ſimul gravis ſtimulus ſpaſmi urget, ob eam cauſam, urgente uſque ſpaſmo, nullus aëris emittendi finis foret, abſque inevitabili novi aeris trahendi neceſſitate; quae neceſſitas haec eſt: In tarda ſpiritus emiſſione ſanguis in pulmonibus ſtagnat, anxietas premit, ruunt in praeceps omnia, cerebrum laborat, reagit, et victis convulſionibus aëri exeundi copiam facit. Quo facto, protinus coſtarum muſculi elevatores agere, et aër in pulmones ruere et hos replere, incipiunt: Atque ſic irruens ſpiritus exauditur.

Vocem

Vocem ſtridulam galli cantum referentem, valida glottidis irruente aëre conſtrictio, et foramen quo aër introit coarctans, efficit. Quem vocis ſonum ſpaſmi violentia per totum ſpiritus trahendi tempus uſque ſervat.

Quod autem thorax tarde et cum labore levatur, ratio redditu haud difficilis eſt; ſi conſideratur, quanto omnes levandi illius facultates deficiant. Nam et omnis aër qui pulmonibus diſtendendis inſervit iis fere expellitur, et, coarctato foramine quo aër intus ad pulmones replendos recipitur, ideo minus aëris dato tempore recipitur. Denique, aëri ſic minori copia intranti, porro totius aſperae arteriae et bronchiorum conſtrictio reſiſtit: Poſtremo, per tantarum convulſionum violentiam, concuſſis omnibus aëris emiſſionem continentibus muſculis, fieri poteſt ut antagoniſtae quibus trahitur ſpiritus ſimili modo afficiantur.

Vomitus autem acceſſiones lenit aut abſolvit; quia acria in ventriculo, aut ipſa

hujus

hujus repletio, pulmones aucta tenſione ſtimulantia, et morbum exaſperantia, ſic adimuntur. Incidit vero vomitus, quia per eandem auctam tenſionem ventriculus quoque ſimul juſto eſt irritabilior; ſimul tuſſis vehementia omnia ſpiritus emittendi organa, ideoque muſculos abdominis et ſeptum tranſverſum, quibus praecipue vomendi actio perficitur, convellit commovetque. Rurſus, vomitus remedio eſt, quia forſitan judicatorius eſt, et pro una poteſtatum naturae medicatricium habendus; ſimilemque hujus morbi ac calor febris intermittentis rationem habere videtur. Certe magna inter ſe utriuſque morbi multarum rerum ſimilitudo eſt; quas commemorare inſtituta hujus chartae brevitas me prohibet. Alia quaedam cum his communis naturae omittimus, quia ob hanc cauſam iiſdem rationibus explicanda ſunt.

Alia etiam ſunt minus huic morbo propria, qualia ſunt vultui et oculis rubor ſuffuſus, ſanguinis e ſuperioribus locis profluvia, acceſſiones epilepticae aut apoplecticae,

plecticae, ſtrangulatio, in mortem quandoque deſinentia; e quibus epilepſia a ſpaſmo pulmonum ad caput tranſlata oritur. Nam vitia nervoſa, qualia ſpaſmus eſt, facillime e qualibet parte ad cerebrum, perque hoc ad aliam quamlibet, perveniunt; ut hyſteria, hypochondriaſis, et epilepſia, oſtendunt. Reliqui effectus hujus morbi, catalepſia, et multi alii hujuſmodi modo dicti, e difficili ſanguinis per pulmones tranſitu naſcuntur; quo fit ut ad cor dextrum ſanguis venoſus ſtagnet, et in capite et ſuperioribus partibus turgeſcat.

Judicium Eventus.

Nunc, quis morbi exitus metuendus ſit, videamus.

Tuſſis convulſiva rarius per ſe exitialis eſt. Cum aliis morbis, uti variolis, morbillis, dentitione, et ſimilibus conjunctus, haud raro perniciem adfert. Eadem infantes infra tertium aetatis menſem, item

labe pulmonum ex parentibus accepta, aut rachitide, vitiatos; poſtremo, gibbos puerulos plerumque interficit. Porro, quo diutius aut magis ſtridula vox eſt, eo diuturnior et periculoſior morbus erit. Nullus acceſſionis tempore vomitus atrocem morbum denunciat. Plenus habitus, longae et ſaevae acceſſiones, praeſertim ſine vómitu naturali, aut humoris inter initia detractione omiſſa, in media acceſſione aegrotanti perniciem minantur.

E contrario, ſi morbus periculoſus cum hoc non conjunctus eſt, ſi habitus laxior eſt, et acceſſiones brevi finiuntur; nullum erit periculum. Alvus mollis leniorem, adſtricta pejorem morbum, portendit. Vomitus, teſte GREGORIO Praeceptore noſtro, viro medicinae peritia nemini ſecundo, raro periculum habet.

TEMPUS quo morbus finitur incertum eſt, multum, pro varia natura graſſantis noxae, varians. Violentia et diuturnitas tuſſis debilibus aut gibbis contingens, tabis pulmonum, ſcrophulae, rachitidis, aut

aliorum

aliorum malorum mortem cito trahentium, periculum haud anceps oſtendunt. Tuſſis convulſiva gravidis incidens partum intus elidit.

RATIO MEDENDI.

PRIUSQUAM curandi rationem quae mihi placet inſtituam, monendum eſt, omnium morborum quibus genus humanum adfligitur, vix quenquam ſaevum magis aut intractabiliorem reperiri. Dolendumque in primis eſt, quod inter mille curationes, quas ſive aniculae confidentes venditant, ſeu empyrici et praeſtigiatores jactant, ſanatio certior vix uſquam innotuit. Mihi igitur reſtat, ut veriſimillimam medendi viam, et experimentis maxime firmatam, inſiſtam.

TUSSI convulſivae medendi triplex eſt conſilium: Primum notas inflammationis tollere; Tum bronchiorum ſpaſ-

mos

mos ſedare; Poſtremo, eorundem irritabilitatem adimere

Quod ad primum attinet, cum initio febris plerumque ſatis evidens ſit, et praeter hanc per contagionis vehementiam pulmones ſaepe inflammentur, ei corporis ſtatui qui ex utravis oritur obviam eſt eundum.

Cui conſilio antiphlogiſtica reſpondent. Horum vero in numero ſunt, ſanguinis detractio, diluentia potui data, alvum leniter purgantia, clyſteres, poſtremo veſicatoria.

Sanguis, incipiente morbo, nunquam non, pro affectuum gravitate et aegrotantis viribus, ad febrem praeſentem imminuendam et inflammationem futuram prohibendam copia magna detrahendus eſt. Idque eo magis fieri debet, quod peſſima mala ſanguis in caput congeſtus gignere ſolet; maxime ſi pleno corpore aegrotans eſt. Itaque magnus Sydenhamus ſeſe tuſſim convulſivam ſanguine saepius dempto et alvi purgatione ſolviſſe teſtatur.

tur. In infantibus, vena brachii aliquando inciſa, aliquando etiam impoſitis cruri per intervalla hirudinibus, ſanguinem mittere convenit.

Item, adverſus febrem et inflammationem, plurimum poſſunt antiphlogiſtica quae dicuntur. Itaque potui diluentia data non ſolum ſitim, ubi ea premit, reſtinguunt; ſed, ſi calor ad ea accedit, ad foramina ſummae cutis aperienda multum valent.

Quamdiu vero catarrhalia morbum comitantur, aqua herbis mucilaginem edentibus, ut althaea et lini ſeminibus, gravida, uſui erit. E quibus, ſemina lini infuſa pura, cum liquoriza, optima ſunt; quae larga copia hauſta acrem ſtimulum obtundunt et tuſſim multum leniunt. Cavenda vero anicularum et nutricum prava conſuetudo, quae ſyrupos mucilaginoſos et oleoſos, pectoralia dictos, diras ventriculo peſtes et multorum malorum cauſas futuras, larga manu infantibus ingurgitant.

Eodem

Eodem veſicatoria pertinent; quae in omni partis alicujus inflammatione et proſunt, et, quam proxime locum dolentem impoſita, maxime efficacia reperiuntur. Ergo, licet vel tergo vel cruribus cum fructu imponantur, tamen ipſi pectori melius admoventur. Eadem in adfectibus pneumonicis etiam potentiora eſſe, experientia quotidie firmat; quo autem modo agant, dicere non auſim.

Porro, alvum ſive purgantia, ſive ad hanc ducendam liquores immiſſi, in hac curationis parte uſu non carent. Nam, quoniam ſtercus in alvo dureſcens, et aliae primarum viarum ſordes, febriculam et inflammationem irritando intendunt, quam haec ejicere nihil eſt utilius. Liquores vero quos immittas idonei ſales neutri, lactis ſerum, aut mollientia ſunt.

Secundo medendi conſilio conveniunt, et bronchiorum ſpaſmos ſedant, antiſpaſmodica; qualia ſunt opiata, balneum, veſicatoria, ſupra ſed leniter purgantia, et alia quaedam ſimilia.

Opiatis,

Opiatis, antiſpaſmodicorum potentiſſimis, nihil accommodatius, in tam ſaevo tamque diuturno morbo, ſive ad ſomnum inducendum, ſive ad tuſſim recta leniendam, eſt. Ergo ea primum conſilium recte ſequuntur. Jamque, amota inflammatione, tuſſi vehementer totum diem premente et robur conficiente, dato opiato ſomnus veſpero inducendus eſt. Adultioribus, liquidum laudanum vel elixir thebaicum; infantibus, ſyrupus diacodii aut elixir paregoricum, convenit. Verum, niſi ſumma premente neceſſitate, ad opiata non eſt decurrendum; quippe quae, poſt actionem antiſpaſmodicam, irritabilitatem relinquunt, et morbum ſic exaſperant.

Pedes et crura in balneum demiſſa optimam adverſus tuſſim vim antiſpaſmodicam poſſident. Cujus rei apud Whyttium, nuper hic Doctorem academiae egregium, exemplum luculentum reperitur; ubi tuſſis, alias prope perpetua et maxima, toties deceſſit, quoties mulieris

ris pedes in balneum ſunt demiſſi. Idem remedium in hoc morbo, relaxata ſumma cute, partes ſuperiores caput et pulmones liberat; neque raro placidum ſomnum, quo vires multum reficiuntur, ſaepe parit. Quin et lenis ſudor, quem balneum movet, quique in hac tuſſi ſemper movendus, aut libera perſpiratio ſervanda eſt, ſummo eſt auxilio. Ergo, quoties ſaevit tuſſis, toties pedes mergantur et merſi aliquandiu ſerventur; praeterque hoc, unaquaque nocte ſervare eos in balneo per quartam horae partem aut etiam diutius, erit utile. Verum de hoc, ut et de opiatis, cavendum eſt ne nimis frequens ejus uſus ſit; qui ſimili etiam modo corporis irritabilitatem poſt ſe relinquit. Pariter igitur, ut alterum remedium, in ſumma adfectuum ſaevitia adhibeatur.

Vesicatoria, quae pro antiphlogiſticis, ſeu inflammationem tollentibus, in primo conſilio praecepimus, cum non minori vi antiſpaſmodica polleant, aeque huic conveniunt. Ea omni in morbi

ſtatu

ſtatu proſunt, ubi ſpirandi difficultas premit. Quae praeterea attentum ſuo ſtimulo animum ſervando haud raro tuſſis vehementiam componunt.

Ad ſupra purgantia ipſa natura ducit; ſiquidem ſponte concitus vomitus nunquam non levamen, ſaepe ſalutem, adfert. Similiter arte excitatus humores ad ſummum corpus, ex interioribus, ideoque e pulmonibus, derivat, liberam perſpirationem aut lenem ſudorem movet, et vera facultate antiſpaſmodica pollet. Huic morbo autem nihil accommodatius eſt quam nauſeandi aut vomendi conſuetudo; ſiquidem in praeſentia ſic ſemper tuſſiendi acceſſio ſolvitur, ſaepe ex toto tollitur. Ventriculi enim plenitudine, quam pro cauſa morbi adjutrice habui, hoc remedio ſublato, inde oriens ſtimulus quoque tollitur et morbus lenitur. Sed hoc amplius et praeſentius commodum quiddam a vomitu oritur de qua conjecturam, ut ante, facere, ſed non claram rei rationem reddere, licet. Certe mihi vomitum po-

 tentiam

tentiam ſaepe medicatricem eſſe veriſimile eſt. Alii ipecacuanam, alii oxymel ſcilliticum dant; cui utrique, ſicut et reliquis omnibus vomitum moventibus, tartarum emeticum praeſtat. Quod, protinus poſt inflammationem remotam, exiguis portionibus per intervalla idonea dandum eſt. Vel infantibus aptius erit, ejuſdem medicinae in aqua cinnamomi aut ſyrupo aliquo jucundo ſolutae, unum aut alterum cochleare ſaepius die adſumere; eoque conſilio, ut quoties tuſſis repetit, nauſeans ventriculus et ad vomitum vicinus in hunc protinus impellatur. Quem tartari emetici uſum multum ſaepe profuiſſe animadverti. Aut idem, ſi pylorum tranſit, leniter alvum purgando prodeſt. Idem mucum bronchiis exprimit, et cauſam adjutricem ſummovet. Neque raro ſolo hujus medicinae uſu morbus ex toto ſolutus eſt; unde ex antimonio formae paratae, ut Kermes mineralis et aliae, ſpecificorum remediorum ſeu propria vi agentium nomina ſint adeptae.

Supra memorata omnia antiſpaſmodica ſunt, et in tuſſis convulſivae curatione omnia vulgo adhibentur; ſed alia quaedam, minus in hoc morbo uſurpata, ei non inutilia fore veriſimile eſt. Talia ſunt moſchus, aether, et alkali volatilis: Quae, cum adverſus alios morbos ſpaſmodicos efficacia ſint, nihil obſtare video quo minus, adverſus hunc morbum in ſpaſmo poſitum, etiam adhibeantur. Quae vero nemo, quem novi, adhuc eſt expertus. Poſtremo, multi thoracem, ſaeviente tuſſe, panno laneo unguento molliente oblito arcte circumligatum et inunctum, levamini fuiſſe affirmant.

Ut ad tertiam curationis partem tranſeam; praeter ſpaſmi in praecipite ſtantis modo dictis curationem, aliquid praeterea moliendum eſt. Nam ſpaſmum continens pulmonum irritabilitas eſt ſolvenda. Cui conſilio tonica quae dicuntur varia accommodantur.

Cortex Peruvianus vix adverſus febres intermittentes quam hunc morbum efficacior

cacior eſt. Quae res, ut ante dictum eſt, quam ſit eorum natura communis oſtendit. Quod, ſi haec tuſſis certis circuitibus repetit, ille etiam certior erit remedio. Sed quaecunque morbi facies eſt, poſt febrem et inflammationem ſublatas, cortex Peruvianus nemini non, qui eo uti poteſt, auxilio eſſe ſolet. Cujus proprietates, utut inſignes, nemo peritius explicavit. Quod ad noſtram rem attinet, atoniam illam quae ad ſpaſmum viam facit, ut CULLENO videtur, aufert. Unde ratio adparet, quare quam proxime intermittentium acceſſionis reditum et quam maxima copia dandus ſit. Idem effecti certiſſimus eſt, ſi drachmae vi. vel tota uncia inter acceſſiones, ſed quam proxime venientis initium, dantur; et raro ſic adminiſtratus ſpem medici fallit. Neque de ejus in tuſſi convulſiva uſu non idem dicendum eſt. Quin et, febre nondum ſoluta et pulſu citato, hanc medicinam proſpere adhibui. Eadem, hoc morbi tempore, ſcilicet febre et inflammatione ſolutis, omnium aliorum remediorum

remediorum ſupervacuum uſum reddit. Nec in multis caſibus, ubi eum adhibitum vidi, unquam fruſtra datus eſt. Quin et egregius juvenis GEORGIUS STEPTOE medicus, hujus academiae alumnus, ſaepe ſe ſolo cortice Peruviano tuſſim convulſivam funditus ſuſtuliſſe, mihi narravit. De variis formis quibus paratus eſt ſupervacua omnis oratio eſt, ſiquidem et citius et certius in pulveris contriti forma effectus ſuos edit. Verum, cum hac in forma non omnibus aetatibus aut ventriculis conveniat; ideo aliquando eo decocto aut extracto opus erit; aut, ſi ſic quidem eum ferre ventriculus recuſabit, in anum immitti debet. Quod etiam, ubi fieri nequit, chirurgus* nuper veſtis laneae plicis obvolutum ſummo corpori corticem Peruvianum applicandum judicavit.

In hunc uſum multa alia prodeſſe propoſita ſunt; qualia varia amara et ſtoma-

* Pye chir. Lond.

chica

chica ſunt, ut gentiana, abſynthium, et ſimilia. Quibus utique, teſtibus BAGLIVIO et VILLESIO, muſcus quercinus decocta anteponenda eſt, aut ipſa quercus decocta, et multa alia viri in uſu artis verſati commendarunt.

OPIUM acceſſiones epilepticas feliciter tollit, et ante eaſdem magna copia datum morbum radicitus ſaepe tollit. Quem effectum in febribus intermittentibus, protinus ante acceſſiones aſſumptum, idem praeſtat. Veriqueſimile eſt, licet experimentorum fides deeſt adhuc, idem tuſſi convulſivae ſimiliter profuturum. Quod tamen caute faciendum etiam ratio ſuadet. Nam, ut CULLENUS noſter obſervavit, opium, ut primum tonica effecta edere et acceſſioni occurrere videtur; ita ſi id non primo tempore praeſtitit, vix deinde, ob rationes ſupra poſitas, tuto adhibebitur. Idem bene etiam cum ipecacuana conjungitur, a qua tonica ejus effecta certiora redduntur, et excretio cutanea melius perficitur.

Supra dictis adjiciendum eſt, per totum morbi tempus alvum mollem ſervandam. Cui rei rhabarbarum cum calomelane junctum bene reſpondet; quae medicina cum inteſtina roboret, et vermes, qui debilia puerorum inteſtina cum alias tum in hoc morbo irritatione infeſtant, necatos corpore auferat, huic parti curationis praecipue accommodatur.

Atque haec tonica ſunt e plantarum genere parata: De quibus abſoluto ſermone, ad alia tonica deinceps propero. Ea quae primum ſequuntur e foſſili rerum parte ſunt. Itaque in hoc morbo adhibita ſunt vitriolum Romanum, et alia ex cupro confecta, quale cuprum ammoniacale eſt, item ſaturnina, qualis ſalis Jovis Londinenſis eſt, qui nihil aliud quam ſaccharum ſaturninum eſt. Quae omnia admodum adſtringenti natura ſunt; et fruſtra iis quae ſupra dicta ſunt datis, in uſum adhiberi poſſunt. Qua tamen in re cautio eſt; nam, ut virtutes eorum ad veneni naturam prope accedunt, ita temere

adminiſtrata

adminiſtrata peſſimas turbas creant. Eadem pro emeticis haud raro in tuſſi convulſiva dantur; an vero magis idonea ſint quam tartarum emeticum, dicere nequeo; ſed vix mihi credibile eſt. Praeter haec, magnam medicamentorum farraginem medici in curationibus verſati, et aliud alii laudibus vanis extulerunt, quae partim contraria, partim inania, partim ſupervacua ſilentio praeteribo.

RESTAT adhuc, ſi non primo, certe poſtremo, effectu tonicum validiſſimum, ſcilicet frigida lavatio; cujus diuturnior uſus, cum in aliis morbis ubi tonus eſt amiſſus, tum maxime in hoc, dummodo vires ferant, ſummo ſemper eſt remedio. Itaque corpus frigida aqua merſum, vel haec ei affuſa aut intus accepta, magnopere corpus roborat. In frigore autem omnis ejus vis ſita eſt. Neque alia ſane proprietate chalybeata agere mihi veriſimile eſt. Ipſe aquae purae frigidas potiones plurimum vidi prodeſſe.

QUOD ſi fruſtra omnia ſuperiora fuerint,

rint, ſaepe loci, ubi degere ſolet aliquis et contagione eſt imbutus, mutatio erit ſaluti. Quae quo modo agat incertum eſt; ſiquidem tranſitus in propinquum locum, ubi coeli eaedem proprietates eſſe videntur, et ſaepe, ubi pariter ac relictus tractus contaminatae, pariter morbum gignunt, tamen morbum depellit.

VERUM, cum et loci mutatio fruſtra ſaepe fit, et morbus ſaepe omnes artes ſuperiores vincat; ubi hoc fit, nihil reliquum eſt niſi ut exercitationis et victus adminiſtrationi curatio permittatur.

ROBUR quod molimur exercitatio omnium generum, quale eſt equo, rheda, aut nave vehi, commodiſſime praeſtat. Qua tamen in re, vitato humido, coelum ſiccum quaerendum.

VICTUS e materia roborante et adſtringente eſſe debet; hujuſmodi ſunt jus vitulinum, aſininum lac, vinique geneſoſi, ut Madeirenſis et Gallici rubri, *claret*, aut etiam Oportoenſis exigui, aut aqua diluti, uſus.

Verum haec omnia, ſive ad exercitationem, ſive ad victum pertinentia, aetatibus et naturis eorum qui curantur accommodari oportet. E quibus lac aſininum, exceptis lactentibus parvulis, quibus maternum et naturalius et aptius eſt, nunquam non hoc morbi tempore convenit, aliquamdiu poſt morbum ſolutum non omittendum.

Quaedam proprio more tuſſim convulſivam ſolvere credita, ideoque, perverſo ſermonis pariter et ſenſus uſu, ſpecifica nuncupata; non tamen ex toto praetereunda putavi, eoque magis quod ab empyricis audacibus venditata mire vulgo placent. Ea ſunt camphora cum cantharidibus mixta, ſal Jovis Londinenſis ſupra relatus, muſcus pyxidatus, poſtremo ſuccus pulegii, ſeu millepedes. Quae omnia, cum mediocriter conſtringant, et ſpaſmis reſiſtant, eo nomine forſitan ufui

alicui

alicui fuerunt. Quorum tamen periculum facere, cum et ignota nunc eorum virtus ſit, et aliquibus periculoſa videatur, facere non audere.

FINIS.